



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 3. Vis lachrymarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

fulgura oculis, auribus tonitrua ingerit, tam diu etiam fulmina metuuntur, donec, nube in imbres resolutâ, dies iterum clarescit, & sol cœlo reddit serenitatem: ita meritò peccator, qui in conscientia versatur tempestate & mentis caligine, diuini iudicij fulgura, timores mortis, & inferni pericula formidat: at, cum compunctus in lachrymas prorumpit, spem habet diuinæ consolationis. Sinit enim se illicò molliri Deus, quando videt, mollitum esse cor peccatoris.

§. III.

Vis lachrymarum.

Quis tantæ clementiæ rex vnquam fuit, vt eodem ferè momento, flagrantissimè iratus, & rursus eidem summè placatus esset?

At de Deo dicit: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi; conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus saluator meus, fiducialiter agam.* Quid ita? quia posuisti lachrymas meas in conspectu tuo; tanquam rem tibi acceptabilem, & tuo conspectu dignam, tibi que in primis charam. Siquidem, sicut ea, quæ in odio nobis sunt, auersamur; ita vicissim illis, quibus animus, iisdem etiam oculus adheret. A Egrotauerat Ezechias, & veniens ad eum Isaias iam dixerat: *Dispone*

Isa. 22. 1.

Psal. 55. 9.

Isa. 3. 8.

D d 3 domui

& 4. Reg. 20. domui tuae, quia morieris tu, & non viues: Ezechias autem conuertit faciem suam ad parietem, & cum lachrymis adorauit Dominum, & antequam exiret Isaias per mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum dicens: *Reuertere, & dic Ezechia: Hec dicit Dominus Deus David patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanauit te, &c.* Alia lectio habet: *vidi lachrymam tuam*, quasi propter primam lachrymam statim conciliatus, & sanitatem, & quindecim annos, & liberationem ab Assyrijs donarit. Potestne maior bonitas cogitari? Illata infinito Deo injuria, æterna damnatione, æterno supplicio digna, lachrymis, immò lachrymâ vnâ compensatur.

§. IV.

Etiam de malis bene sperandum.

Hæc cum ita sint, boni nunquam de salute sua desperant, sed oculos semper in cælum erigunt, semper misericordem esse iudicem credunt, atque ad pœnitentiæ remedia, ad lachrymas, adunctiones pectoris, ad confessionem recurrunt. Deniq; etiam *non est desperandum de malis*, ait S. Doctor, *sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosius supplicandum: quia numerus Sanctorum, semper de numero auctus est*
impio-

S. Augustin. lib.
de vera
innocent.
c. 184.